

etus, solvitur omnino ab ejus obligatione per ingressum et professionem religionis approbatæ: *Communis*, textu expresso in cap. *Scripturæ* 4, De voto et voti redemptione, ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare. »

(86. In dubio, quando nec ex intentione voventis, nec ex forma, et usu verborum, nec ex natura materiæ, nec ex aliis circumstantiis aliter colligi possit, interpretatio voti est semper faciendæ stricte in favorem voventis, ita ut liberum illi sit utramlibet partem dubii eligere: *Communis*, argument., cap. *Ex parte* 18, De censibus, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verbor. obligationibus*, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, cum similibus.

(87. Unde qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, numero, et mensura, ut dare eleemosynam, sive in qualitate, ut dare vinum, frumentum, panem, etc., non decernendo cujus bonitatis, sive in individuo, ut dare ovem, bovem, equum, etc., non determinando quamnam ovem, quemnam bovem, aut equum, satisfacit voto, dando in quacunquæ etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo statui non repugnante, *Communis*, per text. in cit. cap. *Ex parte* 18, De censibus, ubi statuitur, quod in dubio de qua mensura majore ne, aut minore vota edita sint: « Volentes solve ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare; » ubi Glossa verb. *Ab initio* dicit: « Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur. » Et ratio est, quia ubi agitur de obligatione, stricta interpretatio faciendæ est, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verborum obligationibus*, et in dubiis non sequimur, quod maximum est, sed quod minimum, ut expresse dicit Glossa in cit. cap. *Ex parte*, verb. *Primo casu*, per text. in leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, ibi: « Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguius legati censeantur, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Ad id quod minimum est redigenda summa est. »

(88. Hinc qui vovit eleemosynam indeterminate, satisfacit dando quamlibet, statum suum non dedecentem. Qui vovit dare oleum pro lampade accendenda, dubitat autem an oleum olivæ, vel lini, aut nucis, potest dare etiam deterius, si hujus usus sit in ea Ecclesia. Qui vovit dare ovem ex suo grege, et dubitat an meliorem seu deteriolem, potest dare etiam inferiorem. Qui vovit peregrinationem, in dubio de modo, potest peregrinationem implere equis. Qui vovit dare unam ex suis vestibus, et dubius est, an debeat pretiosorem, vel minus pretiosam, satisfacit dando minus pretiosam, et sic de similibus. Sic doctores communiter.

(89. Attendenda tamen semper est consuetudo regionum, et habitatorum, ut vota juxta censeantur emissa, atque sic sint adimplenda: *Communis* per l. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, cit. l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(90. Unde qui vovit ecclesiæ calicem, in dubio interpretatur obligari dare calicem argenteum, et non aureum, nec cupreum, vel stanneum, argument. can. *Calix*, dist. *De consecrat.*, leg. *Titia* 38, § 2, ff. *De auro, argento, ornamentis, vel vestimentis, et status legatis*. Nisi alicubi præ magna opulentia et auri abundantia vigeat consuetudo, ut non nisi aurei calices communiter offerantur, seu præ magna penuria, seu paupertate vigeat praxis, ut non nisi calices cuprei, seu stannei adhibeantur. Qui vovit jejunare quotidie per mensem non tenetur jejunare diebus Dominicis, cum sic servet communis praxis Ecclesiæ, sicuti etiam ex tali praxi qui vovit jejunare in vigilia alicujus sancti, potest jejunare die Sabbati, si vigilia incidat in diem Dominicam. Item qui vovit absolute jejunium, Missæ auditionem, confessionem sacramentalem, etc., debet illa exsequi eo modo, forma et integritate, qua eadem exsequuntur fideles, ubi occurrit Ecclesiæ præceptum. Item qui vovit audire sacrum in die verb. gr. Nativitatis, seu Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, tenetur audire duas Missas; qui vero vovit Missam audire quotidie, non tenetur audire, nisi unam diebus festis, et Dominicis, quia sic ordinarie practicitur ab omnibus, et intentio sic voventium solum fuisse censetur nullum diem transire sine Missa. Item licet qui vovit castitatem, dubitat vero an in, vel extra religionem, an perpetuam vel temporalem tantum? possit eligere temporalem, vel sæcularem extra religionem: si tamen absolute dicat: « Voveo castitatem, » intelligi debet de castitate perpetua, et sic de similibus, ut notant doctores communiter.

(91. Qui post adhibitam moralem diligentiam, adhuc absolute dubitat, an emiserit verum votum, an vero simplex solum propositum conceperit, non obligatur voto, cum in tali casu præsumendum sit fuisse solum simplex propositum. Sic ex communi Sporer, *loco cit.* numer. 15, argument. leg. *Semper* 56, ff. *De regul. juris*, ibi: « Semper in dubiis benigniora præferenda sunt; leg. *Ea quæ* 192, ff. eodem, ibi: « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius; » leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, ibi: « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. » Tum quia melior est conditio ipsius dubitantis, possidentis suam libertatem, cum in pari causa melior sit conditio possidentis, textu expresso cap. *In pari causa* 128, ff. *De regul. jur.*, et concordat cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, cap. *Quod*

autem 5, De jure patronat., l. *Nemo* 126, § 2, ff. *De regul. juris*, cum similibus.

* Qui probabilissimi systema in controversiis de moribus definiendis sequuntur, ex illo principio: *Melior est conditio possidentis* ubi dubium aliquod sive de voto in se, sive de qualitate rei promissæ oriatur, semper pro libertate voventis pronuntiandum inferunt. Verum aliter omnino statuendum esse probabilioristæ censent. Et sane Angelicus Præceptor in lib. iv *Sentent.*, dist. 37, qu. 1, art. 3 quæstion. 1, in resp. ad 6, scribit: « Si... dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat. » Vide Antoine, in *Tract. de virtute religionis*, cap. 3, quæst. 5. *

(92. Qui autem certus est se emisisse votum, aut deliberate protulisse verba verum votum, seu veram promissionem significantia, verb. gr. « Promitto Deo et beatæ Mariæ Virgini servare castitatem; » et adhibita morali diligentia, dubitat, an habuerit intentionem, seu voluntatem sufficientem se obligandi, obligatur voto: tunc melior est conditio voti possidentis suam vim obligandi per jura *num. antecedent.* allegata, quia cum quis deliberate profert verba significantia votum, seu veram promissionem, semper præsumitur habere voluntatem promittendi et se obligandi, nisi aliunde constet de opposito, cum nemo censetur dicere quod non habet in mente, leg. *Labeo* 7, § 2, ff. *De supellectili legata*, ibi: « Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit: » Sanchez lib. i *De matrimon.*, disput. 9, a n. 13, et l. iv *Moral.*, c. 1, n. 13, cum pluribus ibi citatis, Sanig., dist. 4, *De relig.*, q. 2, nu. 6; Sporer, l. c., n. 16; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 6, dist. 3, quæst. 2, a nu. 17; La Croix, lib. iii, part. 1, n. 381, cum Gobat, Ovied. ibi citatis, et alii.

(93. Cum quis dubitat, an quando vovit, habuerit plenum usum rationis, si vovit, ante septennium, præsumendum est non habuisse dictum plenum rationis usum, sicque voto non obligari, nisi in aliquo certe constaret malitiam, seu cognitionem prævenisse, seu supplevisse ætatem, quia in tali non præsumitur ordinarie usus rationis, et professio stat pro libertate. Si autem vovit post septennium, præsumendum est habuisse plenum usum rationis; sicque voto obligari, cum in tali præsumatur ordinarie dictus plenus usus rationis, nisi in aliquo certe constet de opposito. *Communis*.

(94. Si vero dubitet, an ante, vel post septennium, seu ante, vel post sufficientem usum rationis, et deliberationis voverit? Tunc probabilius præsumendum est vovisse post septennium, seu post sufficientem usum rationis, sicque voto teneri. Et ratio est, quia tunc de voto constat, et excusatio est dubia. In cap. autem *Si quis*, De pœnit., dist. 7 expresse dicitur: « Tene certum, dimitte incertum, » et concordat cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, et cap. *Audientiam* 12, De homicidio. Tum quia ante

septennium, seu ante sufficientem usum rationis et deliberationis rarissime emittuntur vota, seu juramenta, adeoque in tali dubio ex communiter contingentibus præsumendum est in favorem voti, nempe esse emissum post septennium, seu sufficientem usum rationis, et ideo esse validum et obligatorium. Sanchez, lib. i *Moral.*, cap. 1, num. 14; Henno, tom. I in *Decalog.*, disput. 2, quæst. 3, *De voto*, art. 1, vers. *Dixi tertio*, resolut. 1; Diana, part. iv, tract. 3, resolut. 10, cum aliis ibi citatis; Sporer, *loco cit.*, num. 24, testans hanc esse omnino probabilem, quamvis ipse cum Castropalao, et Tamburin. teneat probabiliter oppositum, quod non improbabile putat La Croix, *loco cit.*, num. 387, cum dicto Castropalao, et Oviedo repugnantibus probatoribus theologis.

(95. Qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatione, eo quod votum emiserit tempore subitæ passionis, iræ, terroris, ebrietatis, phrænesis, amentia, semidormitionis, etc., præsumendus est probabilius vovisse cum deliberatione sufficienti, adeoque obligari voto, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, et prudenter credat non satis considerasse necessaria ad obligationem contrahendam: Sanchez, *loco cit.*; Gobat, tom. III, caus. 6, num. 170; Suarez, l. iv, *De voto*, cap. 5, Ovied., tom. V *Controv.*, num. 172; Sporer, *loco cit.*, sub num. 24; La Croix, *loco cit.*, num. 388, et alii. Et ratio est, quia etiam hic constat de voto, et dubitatur de excusatione, tum quia qualitas, quæ naturaliter inest semper inesse supponitur, nisi clare constet de opposito; atqui usus rationis naturaliter inest homini, ergo in suis actionibus semper inesse præsumi debet, nisi aliunde certo constet de opposito. Contraria tamen opinio non improbabiler defenditur a Castropalao, tom. I, tract. 1, d. 3, quæst. 11, cum alii sibi citatis, et probabilem censet etiam Sporer, *l. cit.*

(96. Votum emissum ex metu, sive ab intrinseco, ut in periculo mortis, ex infirmitate, naufragio, peste, etc., sive ab extrinseco incusso ab homine, ut ab hoste, latrone, et hujusmodi, dummodo rationem non perturbet, et non sit talis metus ab extrinseco incussus ad ipsum votum injuste extorquendum, censendum est validum, ac obligatorum: *Communis*. Et ratio est, quia tale votum est adhuc implicite voluntarium, et de liberatum; votum autem voluntarium et deliberatum sine dubio est validum.

(97. Votum autem emissum ex metu injuste incusso ad ipsum votum extorquendum est censendum omnino invalidum, et non obligatorium, non solum de jure positivo canonico, ut patet expresse in cap. *Perlatum* 1, et aliis sequent. De his quæ vi, metusve causa fiunt, sed etiam de jure naturali, quia, ut ait sanctus Bonaventura in 3, dist. 39, art. 3, quæst. 2: « Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta. » Deus enim tale votum non acceptat, ne det vim injustæ coactioni: *Communis*.

(98. Nullum et irritum est votum emis-

sum ex ignorantia et errore, si fuerit circa substantiam rei promissæ, ut si quis voveat, se ingressurum certum monasterium, putans esse Sancti P. Francisci, cum sit S. P. Dominici, voveat dare ecclesiæ certum aliquem suum calicem, putans esse argenteum, cum sit aureus, et hujusmodi; item si fuerit circa conditionem substantialem, ut si quis voveat peregrinationem Lauretanam, erronee putans distare solum 40 miliaribus, cum tamen distet bis centum; si voveat peregrinationem in Terram Sanctam, putans posse fieri itinere pedestri per terram, cum tamen mare sit transfretandum, et hujusmodi. Item si fuerit circa causam finalem seu motivum formale vovendi: ut si quis voveat eleemosynam dare peste laborantibus in hac civitate, cum tamen hic nullus peste laboret; si voveat alere hunc pauperem, erronee putans esse suum consanguineum, cum tamen non sit, etc. In quibus deficit finis principalis a vovente intentus. Sic in re Communis doctorum. Et ratio nullitatis talium votorum est quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Arist. lib. III *De anima*, commentar. 39, et ignorantis, ac errantis nullus sit consensus; l. *Non idcirco* 9, cod. *De jur. et facti ignorant.*, nihilque sit tam contrarium consensui, quam error, leg. *Si per errorem* 15, ff. *De jurisdict. omnium judic.*

99. Qui vovit certam et determinatam rem, verb. gr. hunc equum, si talis determinatus equus sine culpa voventis pereat, non tenetur ad alium equum seu aliam rem, quia id non solet intendi, et talis res facta est impossibilis: impossibile autem nulla est obligatio, leg. *Impossibile* 185, ff. *De regul. juris*, et leg. *Nemo potest* 6, *De regul. jur.*, in 6. Si autem talem rem vendiderit, tenetur dare pretium receptum, quia eadem res manet virtualiter; et qui vovet rem, censetur promittere omnem ejus utilitatem: *Communis*.

100. Qui scit se vovisse jejunium, verb. gr. pro die Mercurii, et dubitat, an habuerit intentionem supplendi alia die, si ista negligeret, non tenetur supplere alia die, quia in dubiis quod minimum est, eligi debet; leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis*, 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*, cap. *Ex parte* 18, *De censibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibidem*, verb. *Primo casu*. * Vide testimonium S. Thomæ relatum in *addit. ad num.* 90.*

101. Qui scit se votum emisisse, et dubitat an impleverit, tenetur adimplere, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam; tum quia votum possidet, et melior est conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6, *De præscriptionibus*, c. *Quod autem* 5, *De jure patronat.*, cap. *In pari* 65, *De regul. juris*, in 6, leg. *Nemo* 126, ff. *De regul. jur.*, l. *In pari caus.* 128; ff. eodem. Et sic doctores communiter.

102. Qui vovit absolute non ludere, nihil cogitando an de lusu tantum immoderato et periculoso intelligeret, an etiam de mode-

rato, non tenetur abstinere a lusu moderato, quia voluntas in dubio interpretari debet in favorem voventis, arg. leg. *Semper in dubiis* 56, ff. *De regul. juris*, leg. *Ea quæ* 192, ff. eod., leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, et dubitans, an plus, vel minus, tenetur tantum ad minus, cap. *Ex parte* 18, *De censibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibid.*, verb. *Primo casu*. l. *Nummis*. 75, ff. *De legatis* 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*

* Rejecit hanc opinionem Daniel Concina l. IV in *Decalog.* diss. 1, cap. 6, num. 48, ubi scribit: « Nisi constet expresse te distinxisse, dum votum edidisti, ab omni ludo chartarum te debere vi voti absoluti abstinere: tum quia cum votum privata lex sit, de eo pariter recte habet celeberrimum dictum: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*: tum etiam quia materia voto promissa, nempe integra a ludo abstinentia, confert plurimum ad innumera peccatorum pericula declinanda: tum denique quia votum in tutiorem partem semper interpretandum est. » *

103. Qui vovit absolute non ludere, intelligendo etiam lulum moderatum, tenetur abstinere etiam ab isto: obligatio enim voti potissimum pendet ab intentione voventis; unde si voventis intentio fuit de se abstinendo etiam a ludo moderato, debet etiam ab isto omnino se abstinere: S. Thomas, 2-2, qu. 468, art. 1; Tamburin., l. III, cap. 3, § 5, num. 58; Castrop., tract. 14, d. 2, p. VII, § 1, num. 3; La Croix, lib. III, part. I, numer. 433, cum Sanchez et Bonacina ibi citatis, et alii passim.

104. Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus; Tamburin., *loc. cit.*, numer. 59; La Croix, *loc. cit.*, numer. 434; Castropal., *loc. cit.*, addentes, quod sic vovens posset per alium ludere, licet aspiciendo perderet tempus, * quia tempus non perderet ludendo, ut fuit ejus votum, arg. citatis juribus, *supra num.* 102.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Hanc propositionem ita P. Daniel Concina perstringit tom. III primæ edit., pag. 171. « Falsum est insuper, quod inquit La Croix, voventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Nec minus falsum est quod postea subdunt, nempe dum vovisti non ludere, ne tempus teras, te posse per alium ludere, licet aspiciendo tempus teras. Audistin? Licet tempus perdas ludendo aliena manu, votum non fregisti; si autem propria manu ludis, votum fregisti. Peracuta, et mirifica theologia manifestam laxitatem non valet longius improbare. Ita Concina; nec a vero alienam doctrinam tradit, ut consideranti facile patebit.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ hic notatur a Romano theologo, non

est mea opinio, sed doctorum ibi ad eruditionem allatorum, ut legenti patet. Propriam autem meam opinionem demonstrat expresse mea conclusio, nempe: « Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus. »

105. Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis ludis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi, aut blasphemandi, uti ordinarie accidit in ludis nomine proprio, et cum jactura propriæ pecuniæ fieri solitis; quia vero id non solet accidere in ludis, qui fiunt nomine alieno, aut per alium, hinc poterit talis vovens licite ludere nomine alieno, aut per alium. Imo ei licebit ludere per alium, etiamsi dicta incommoda timeantur, quia re ipsa in tali casu ipse non ludit. Et sic etiam licebit ei facere sponiones de hoc vel illo lucraturo, cum id non sit proprie ludere; Sanchez, lib. III, cap. 18, num. 8; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 58, Bonacina., *De jurament.*, quæst. 1, punct. 16, nu. 5; La Croix, *loc. cit.*, numer. 454, et alii.

106. Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandum est quod excluserit solum lulum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. Unde hic poterit ludere moderate pro se ob animi recreationem, et pro alio seu loco alterius, etiamsi subsit periculum jacturæ pecuniæ alterius; quia ludendo moderate, aut pro alio, non incurrit illud periculum jactandi, et perdendi suam pecuniam, quod fuit unicus finis sui voti. Imo poterit etiam ludere per alium, tradita ei pecunia, ut nomine sui, nedum absentis, sed et præsentis, videntis, et lætantis ludat, quia licet in hoc casu inveniat finis, ob quem vovit, nempe ut vitet jacturam suæ pecuniæ, tamen res proprie non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, et proprie non ludat, is, pro quo alius ludit. Vota enim in dubio interpretanda sunt in favorem voventis, et in mitiorem partem per jura adducta supra n. 102. Sic tenent Sanchez, l. cit. n. 7; Diana, *loc. cit.*, resolut. 57; Bonacina., *loc. cit.*, numer. 5; Castropal., n. 5; La Croix, *loc. cit.*, n. 454; Gobat, tom. III, casu 17, n. 526, et alii.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Atque hinc vide num consistere possint, quæ numeris 105 et 106 exponuntur; nam si per seipsum ludere censetur, qui per alium ludit, ergo qui voverit non ludere, sive ob evitandas rixas et blasphemias, sive ne pecuniæ jacturam patiat, sive ob alium finem, a ludo abstinere debet etiam aliena manu faciendo. Verbo dicam: Si generatim homo voverit, se non amplius lusurum, vi voti ab omni sive moderato, sive immoderato ludo abstinere debet, et nec per se, nec per alium ludere licite poterit, nisi emittendo votum secum ipse declaraverit,

vovere tantum voluisse abstinere a ludo immoderato, vel a ludo per seipsum faciendo. Nam si vovendo, nil ipse distinxit, sed generatim promisit, nec disquirere nos debemus; sed integram in ipso a ludo abstinentiam agnoscere, et profiteri tenebimur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Pro assequenda mea vera opinione recurrendum est ad summarium hujus articuli sub citatis numeris (loquitur hic auctor de editione Romana), nempe sub num. 105: « Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi; » sub n. 106. « Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandum est, quod excluserit solum ludum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. » Nam cætera in corpore ibi addita sunt potius ex opinione doctorum, et auctorum, qui identidem allegantur. Sed in Romana editione *Summaria* omnia, in quibus vel unico obtutu mens mea patet, subtracta sunt.

107. Quale autem peccatum sit, mortale, an veniale ludere post votum non ludendi, colligi potest universaliter loquendo ex consideratione finis, ob quem emissum fuit votum: unde qui vovit non ludere ad evitandum jacturam propriæ pecuniæ, non peccat graviter, nisi notabilem summam exponat periculo jacturæ; et si pro alio ludat, nec venialiter peccat, etiamsi multum perdat, quia finis sui voti fuit ad evitandam jacturam pecuniæ propriæ, et non alienæ. Item qui vovit non ludere, ut redimat tempus, si non consumat in ludo tempus, verb. grat. plus quam duas horas, non erit grave peccatum. Item qui vovit non ludere, ut evitet rixas, non peccat graviter, si ludat cum aliquo notorie pacifico, et sic de similibus. Ita Sanchez *loc. cit.*, numer. 7; Tamburin., *loc. cit.*, numer. 60; Gobat, *loc. cit.*, numer. 526; La Croix, *loc. cit.*, numer. 454; Fagundez, Castropal. apud ipsum, et alii passim.

108. Qui vovit non ludere certo genere ludi, certo tempore, in certo loco, cum certa persona, quia credebat certo se esse amissurum in tali tempore, tali loco, cum tali persona, etc., non tenetur servare illud votum, quia cum id sit superstitiosum, non potest esse materia voti, quia voti materia debet esse res moraliter bona ex dictis supra a num. 23. Et a fortiori non tenetur servare votum factum de non ludendo cum certa persona in vindictam, vel signum malæ voluntatis, cum votum non debeat esse vinculum iniquitatis; argument. cap. *Quanto* 18, *De jurejurando*, can. *Inter cætera* 22, caus. 22, quæst. 4; Sanchez, *loc. cit.*, numer. 9; Castropal., *loc. cit.*, numer. 7; Bonacina., *loc. cit.*, punct. 4, numer. 2; La Croix, *loc. cit.*, numer. 457, cum Navar. et Soto ibi citatis, et alii. Excipe tamen nisi nollet ludere cum tali persona, ex quo nimis rixosa, fraudulenta, aut se ipso in ludo peritior, aut in tali ludo non esset ipse expertus, aut